



**R. Patris, Francisci Svarez, E Societate Iesv,
Metaphysicarvm Disputationvm, In Qvibvs Et Vniversa
Natvralis Theologia Ordinate Traditvr, Et Qvæstiones Ad
omnes duodecim Aristotelis Libros ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ ; [Coloniæ Agrippinæ], 1630

15 An omnes & solæ relationes tertij generis sint non mutuæ. vbi de
relationibus Dei ad creaturas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94179](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94179)

effectus pendet ab ipsa. Et quantum ad causam materialem videtur hæc sententia consentanea Aristoteli, qui in illo genere ponit relationem potentie passivæ, cuius causalitas materialis est. Eadem autem ratio esse videtur de relatione potentie informativæ (ut sic dicā) & de causalitate eius, & de relatione in ea fundata. Et consequenter idem etiam erit de relatione effectuum ad has causas, idemque dici poterit de relatione effectus causæ finalis ut sic ad causam suam, nam ex parte causæ probabilius existimo illam relationem non esse realem, ut dixi. Et iuxta hunc respondendi modum relatio unionis, quæ supponit causalitatem vel aliquam imitationem eius, reducitur ad secundum genus relationum: aliter vero relationes propinquitatis coexistentiæ, & similes ad primum genus sine dubio pertinent. Nulla ergo (ut opinor inveniiri poterit relatio, quæ ad hæc genera non facile reducatur.

SECTIO XV.

Utrum relationes tertii generis sint non mutue & in hoc differant à relationibus aliorum generum.

I.



Vobis modis possunt relationes dici non mutue: primo secundum specificas rationes relationum. secundo in suprema generalissima: Priori modo dicitur relatio non mutua, quæ non est eiusdem rationis specificæ in utroque extremo: posteriori autem modo dicitur, non mutua, quæ in vno extremo est vera & realis relatio, non vero in alio. Prior significatio inusitata est, & impropria, nam si utrumque extremum per propriam suam relationem refertur ad alterum, vere ac proprie referuntur mutuo, etiam si relationibus diversarum rationum deferantur. Vnde hæc relatiua potius vocantur diversarum rationum, vel, ut alii loquuntur, relatiua disquiparantiæ.

Dispositio relationum eiusdem, vel dissimilis rationis.

II.

Sicque relationes mutue distingui solent in relationes æquiparantiæ & disquiparantiæ. Nam relationes omnes secundi generis, disquiparantiæ sunt, quia ratio fundandi est aliquo modo diversa in extremis, nam in altero est potentia actiua, in alio vero potentia passiva seu dependentia à sua causa, ex quo etiam fit, ut termini talium relationum sint diversarum rationum, nam illi proportionate respondent fundamentis, ut superius tactum est, & infra latius dicitur: Relationes vero primi generis interdum sunt eiusdem interdum diversarum rationum in utroque extremo: relationes enim unitatis æquiparantiæ sunt ut recte notavit Alexander Alensis libro quinto Metaphysicæ text. 20. & patet de relatione æqualitatis, similitudinis, identitatis: relationes vero fundatæ in numero seu diversitate secundum proprias & específicas rationes sunt disquiparantiæ, ut patet de duplo & subduplo, & aliis proportionibus, quæ in vno extremo dicuntur excessum, in alio defectum. Dico autem: Secundum proprias & específicas rationes Quia in generica ratione convenire possunt, & secundum eam similiter dici de utroque extremo: sic enim utrumque extremum tam maius quam minus dicitur in æquale alteri. Et similiter albedo dicitur dissimilis nigredini, & è conuerso, cum tamen verisimile sit, proprias relationes secundum específicas rationes earum esse distinctas, quia & fundamentum & terminus longe diversa sunt in vna quam in alia. At vero relationes tertii generis plusquam disquiparantiæ censentur, eo quod æquiparantiæ vel

disquiparantiæ dicatur proprie inter extrema realia in hoc autem tertio genere non censet Arist. esse in utroque extremo relationem realem, & ideo non mutue dicuntur.

Proponitur difficultas circa relationes non mutuas.

DE his ergo relationibus non mutuis proprie sumptis intelligitur præsens quaestio: in qua duplici ex capite difficilis est sententia Aristotelis. Primum est, quia non videtur verum relationes tertii generis esse non mutuas, nam si aliquibus verum esset, maxime in seibili & sensibili: at in his tam est vera relatio realis, sicut in scientiæ, & sensu: ergo. Probatur minor, quia denominatio seibilis & sensibilis, relatiua est, imo, & per se ad aliquid, ut Aristot. ipse in eodem loco fatetur, ut patet ex reciprocatone, quia sicut scientia est seibilis scientiæ, ita seibile est scientiæ seibile: hæc autem reciprocatio & correlatiua denominatio non est per intellectum conficta, sed ex rebus ipsis orta. ergo in utroque extremo est à propria forma & relatione reali.

Secundo, quia si ob aliquam causam hæc relatio non est realis in obiecto seibili, aut est quia in ipso obiecto non est fundamentum reale, aut quia esse scitum in tali obiecto non est aliquid in ipso, nec scitur per sui mutationem, sed per denominationem à forma existente in alio: nam præter has nulla alia probabilis ratio occurrit. Neutra autem ex his satisfacit. Prima enim falsum sumit, nam quod obiectum sit intelligibile aut sensibile, habet fundamentum in ipsis rebus, & in re lib. proprietatibus earum, lux enim visibilis est, quia est talis naturæ secundum quam habet vim sic immutandi potentiam & res immaterialis, quia spiritualis est, dicitur actu intelligibilis, secunda vero ratio male colligit, alias etiam relatio agentis in actu, non esset realis in ipso, quia sine sui mutatione sit agens actu, & sine additione alicuius formæ absolutæ quæ in ipso sit. Quod si dicat, ipsam potentiam agendi esse intrinsecam, licet conditio, quæ est actio, sit extrinseca: idem dici poterit de obiecto, nam aptitudo ut sciatur est intrinseca, & illa potest esse fundamentum, quamvis conditio, quæ est actu sciri, sit quid extrinsecum. Eo vel maxime quod ipse actus sciendi aut sentiendi habet realem dependentiam ab obiecto: sicut actio ab agente, quamvis non in eodem genere causæ. Dices, obiectum quatenus de se est aptum sciri aut videri non habere habitudinem aut scientiam. Sed si hoc intelligatur de habitudine relatiua prædicamentali, petitur principium nam huius rei rationem inquirimus. Si vero intelligatur de habitudine transcendentali, iam supra ostensum est, hanc non semper esse necessario prærequiritam ad relationem prædicamentalem: nam etiam in agente principium agendi non semper habet transcendentali habitudinem ad effectum, ut patet ex iis quæ supra de potentia & actu tractauimus.

Tertio est præcipua difficultas, quia terminus relationis est altera relatio existens in alio extremo: ergo impossibile est relationem esse realem in vno extremo, & non in alio. Patet consequentia quia non potest relatio esse realis sine formali termino reali. Antecedens vero patet, quia relationes dicuntur esse simul natura, definitione & cognitione, quia nimirum vnum est terminus alterius.

Ex secundo vero capite oriuntur non minores difficultates: nam si relationes non mutue admittende sunt, non tantum in tertio, sed et in aliis generibus inueniuntur. Antecedens patet, nam in primis relatio, quæ est inter Deum & creaturam in ratione causæ efficientis & effectus, est secundi generis, & tamen est non mutua, iuxta sententiam magis receptam à Theologis. Similiter in primo genere reperiuntur multæ relationes inter Deum & creaturas, ut relatio

distinctionis realis, vel similitudinis in esse, aut in ratione substantie, aut intellectuali gradu: nam licet sit Analoga similitudo, vera tamen & realis est, & sufficiens ad fundandam relationem realem, vt supra dixi. Et tamē talis relatio, licet in creatura sit realis, in Deo esse non potest. Item sumi potest argumentum de relatione vnionis inter verbum & humanitatem, quæ est non mutua, & tamen pertinet ad primum vel secundum modum. Præterea inter creaturas est peculiaris difficultas de relatione inter causam finalem & effectum quam diximus esse non mutua, & tamen pertinet ad secundum genus. Denique relatio dextri & sinistri inter hominem & columnam censetur non mutua ex sententia omnium, & tamen non pertinet ad tertium genus: nulla enim ratio mensuræ ibi interuenit.

VII. Propter hæc ergo & similia Gre. in 1. d. 18. q. 1. sentit nullas esse relationes non mutuas, quam sequuntur aliqui Nominales.

Assertiones de relationibus non mutuis.

VIII. Vo nihilominus breuiter dicenda sunt. Primum est aliquas esse relationes non mutuas, id est reales in vno extremo, & non in alio: Hæc est sententia Aristotelis hoc loco, quam omnes expositores admittunt, & fere Theologi, præsertim D. Tom. 1. p. q. 13. ar. 17. & alii statim citandi. Estque sententia tanta consensione recepta, vt non liceat Philosophis eam indubium reuocare. Ratio autem eius consistit ex sequenti assertionem, & magis ex solutionibus difficultatum. Secundum dictum est, has relationes non mutuas per se & quasi ex propria ratione sui fundamenti inueniri in tertio genere; in aliis vero minime, nisi veluti materialiter ex peculiari conditione alicuius subiecti seu extremi. Ita censeo esse interpretandam Aristotelis sententiam. Et ratio prout partis sumenda est ex peculiari modo specificationis & commensurationis quam habent potentia, habitus, & res similes ad obiecta sua: Nam formaliter solum consistit in habitudine quam ex natura sua habent ad obiecta secundum quam ei commensurantur: obiectum vero in hoc nullam habet propriam causalitatem, sed rationem termini specificantis. Nam, licet aliqui possint esse mouens aut actiue, aut finaliter, tamen vt extremum a huius relationis, sub nulla harum rationum consideratur, sed solum est id cui talis res commensuratur. Sub hac autē ratione ipsum non concurrir, vt ordinabile ad aliud, sed solum vt id ad quod aliud ordinatur: & ideo ex vi talis rationis fundandi non oritur relatio in vtroque extremo, sed in solo illo quod alteri commensuratur. Hæc ergo de causa relationes tertii generis ex propria ratione formalis sui fundamenti non mutuas sunt. In aliis vero hoc non reperitur, vt ex dictis constat quia frequentius ac fere semper relationes illorum generum mutuas sunt. Quod si aliquando sunt non mutuas, id solum est ob peculiarem naturam vel conditionem alicuius rei, vt ex solutionibus argumentorum clarius patebit.

An in reatiuis non mutuis vtrumque extremum realiter referatur.

IX. AD argumenta ergo in primo capite proposita, quæ contra priorem assertionem, & contra primam partem secundæ assertionis procedunt, respondendum est. Et quidem ad primum respondet Caiet. 1. p. q. 13. art. 7. concedendo, etiam in reatiuis non mutuis vtrumque correlatiuum esse reale, & scibile, v. g. referri realiter ad scientiam. Differentiam tamē inter hæc, & relatiua mutua ponit in hoc, quod in mutuis vtrumque referatur per intrinsecam relationem, non mutua vero, non ita, sed ad alterum extremum referatur realiter per relationem existentem in alio,

& extrinsece denominantem alterum: Quæ responsio videtur habere fundamentum in Aristotele, cum quia inter ea quæ sunt simpliciter ad aliquid numerat scibile vt refertur ad scientiam, & scibile vt refertur ad sensum: non sunt autem ad aliquid simpliciter, nisi quæ realiter referuntur, vt supra diximus: ergo hæc etiam sunt relatiua realia ex sententia Aristotelis. Tum etiam, quia inferius in eodem capite dicitur hæc esse ad aliquid, quia alia ad ipsa dicuntur, vbi non ait hæc esse ad aliquid, quia ratio id fingit aut considerat sed quia alia ad ipsa dicuntur, quod in re ipsa inuenitur. Tum præterea quia paulo inferius ait, hæc omnia per se ipsa ad aliquid dici, complectens tria genera superioribus sectionibus tractata, quæ autem sola ratione referuntur, non per se ipsa, sed per rationem referuntur. Tandem quia Metaphysicus non considerat respectus rationis: sed illa tria genera per se pertinent ad predicamentum ad aliquid, teste Arist. & per se etiam cadunt sub Metaphysicam considerationem: ergo. Et hanc sententiam ante Caiet. videtur docuisse Greg. in 1. d. 28. q. 3.

Sed hæc responsio Caietani singularis est, & contra dicit D. Tho. 2. cont. Gent. cap. 13. vbi ex professo probat, relationes Dei ad creaturas non esse res aliquas extra Deum existentes, à quibus extrinsece denominetur relatiue. Cum autē inter Deum & creaturas sit relatio non mutua, si vera esset Caietani sententia, etiam Deus referretur realiter ad creaturas: non quidem per relationem realem in ipso Deo existentem, sed per relationem existentem in creatura. Vnde in ratione secunda expressum est D. Th. principium contrarium interpretationi Caietani, scilicet, *A relatione non denominari aliud quasi exterius existente, sed inherente.* Vbi bene Ferrariensis interpretatur, id intelligendum esse denominatione respectiua, qua dicitur aliquid referri ad aliud, nam alio genere denominationis non est inconueniens aliquid denominari relatione extrinseca, vt postea dicemus.

Præterea si scibile refertur realiter ad scientiam per relationem existentem in scientia, interrogo an hoc intelligendum sit de relatione qua ipsa scientia refertur ad scibile, vel de aliqua alia relatione distincta. Primum dici non potest, quia vna & eadem relatio non potest dare diuersis subiectis denominationes diuersarum rationum quales sunt scientiæ & scibilis: nec potest referre eas ad oppositos terminos formales: alias pari ratione eadem filiatio existens in filio, posset filium denominare intrinsece & referre ad patrem & patrem ipsum extrinsece denominare patrem referre ad illum filium: Denique vna forma specie vnum habet formalem effectum, sed relatio est forma, cuius effectus formalis est referre vnum ad aliud: ergo vna & eadem relatio non potest habere duos modos referendi diuersarum rationum. Neque etiam dici potest secundum, nempe, esse in scientia duas relationes reales distinctas, alia qua ipsa scientia refertur ad scibile aliam, qua refert scibile ad se: hoc enim à nemine hætenus dictum est & non habet fundamentum in Aristotele, sed potius ei repugnat, dicit enim, scibile dici ex eo quod scientia refertur ad ipsum: non ergo agnoscit inter hæc aliam relationem realem, nisi qua scientia refertur ab scibile. Nec etiam est consonum rationi, quia illa pluralitas relationum neque est necessaria, neque habet fundamentum in ipsa scientia, cum in ea tantum sit vnica coaptatio & habitudo transcendentalis ad scibile.

Dici potest, esse duas relationes solum ratione distinctas: hæc enim multiplicatio cum non sit rerum, nec proprie in re, facile admitti potest, & sufficit ad prædictas denominationes respectiuas etiam diuersarum rationum: sicut idem modus seu eadem dependentia propter solam distinctionem relationis inter actionem & passionem tribuit denominationes diuersas agentis & patientis, vnam intrinsece, & aliam extrinsece. Verumtamen neque hæc distinctio

relationem admitti debet in presenti, nam etiam ad huiusmodi distinctionem rationis oportet esse aliquod fundamentum in re, quod in presenti nullum est. Unde non est simile exemplum de actione & passionem, nam in mutatione est vera & transcendentalis habitudo ad principium à quo manat, & ad passum, quod immutat, & ideo est in ea magnum fundamentum ad distinguendum rationem actionem & passionem, ad modum duarum formarum accidentalium. at vero in scientia nullum est fundamentum ad distinguendas etiam secundum rationem relationes diuersarum rationum. Accedit vniuersalis ratio, in qua fundatur illud principium D. Tho. quod relatio non denominat extrinsece, quia nimirum cum denominatio eius sit per habitudinem ad aliud, repugnat formam sic denominantem esse in eo ad quod est habitudo: quod si in eo non est, oportet ut sit in eo quod refertur, quia in relatione non concurrunt per se alia extrema. Denique vix potest mente concipi quidnam sit in scientia, ratione cuius faciat scibile ad se realiter referri, cum tota ratio scientiæ sit versari circa scibile, & inde non habeat per se loquendo, illud ad se ordinare.

Solutur prima difficultas in principio proposita.

XIII.

AD primum ergo argumentum in principio positum dicendum est, scibile dupliciter posse denominari: primo mere terminatiue & quasi passiuè: secundo correlatiue ad scientiam. Primo modo denominatur extrinsece ab ipsa scientia reali, atque ita talis denominatio dici potest esse in rebus ipsis, & non esse per intellectum constituta. Imo hæc ipsa denominatio non sumitur solum ex relatione prædicamentali quæ est in scientia, sed etiam ex ipsa forma absoluta ut includente transcendentali habitudinem ad obiectum: quod satis insinuat Aristoteles cum dixit, intelligibile dici, eo quod in eo versetur intellectus: versatur enim non per solam relationem prædicamentalem, sed per proprium actum, ad quem consequitur relatio. Secunda denominatio scibilis est respectiua, & hæc solum est per relationem rationis, quia mens nostra ad explicandam illam relationem quam scientia habet ad ipsum scibile, concipit illud ut correlatiuum scientiæ. Argumentum ergo solum procedit de priori denominatione. Cum autem Aristoteles, scibile, sensibile, & similia ponit inter ea quæ sunt ad aliquid, primo exponi potest, quod per hæc non intelligat tantum hæc extrema, sed relationem interuenientem inter hæc, & sua correlatiua, in quocunque eorum sit illa relatio: vel secundo dici potest, ponere hæc extrema inter ea quæ sunt ad aliquid, quatenus huiusmodi denominationes habet à quibusdam relationibus reallibus. Et eodem sensu intelligi potest, quod ait, hæc esse ad aliquid, quia alia referuntur ad ipsa: esse (inquam) ad aliquid, non tanquam correlatiua, sed tanquam termini passiuè denominati ab his relationibus. Et simili modo dicitur hæc esse per se ad aliquid tanquam termini per se connexi cum relationibus reallibus à quibus tales denominationes recipiunt. Vel aliter etiam dici potest, cum ait Aristoteles hæc dici ad aliquid quia alia dicuntur ad ipsa, intelligi causaliter, nam si scibile, sensibile, & similia, correlatiue sumantur & concipiantur à nobis ideo est, quia alia referuntur ad ipsa, non quia ipsa vere ac realiter referantur. Sed dicit Gregorius, eandem interpretationem habere locum, etiam si relatio scibilis sit realis, quia ei non conuenit nisi quia scientia versatur circa illud: sed hoc non recte dicitur, quia si fundamentum illius relationis, est tantum habitudo alterius, scilicet scientiæ ad scibile, non potest relatio in ea fundari realis.

XIV.

Ad secundum argumentum respondetur, causam

ob quam hæc relatio non mutua in altero extremo non est realis in hoc tertio genere, esse, quia in vno extremo, v. g. in obiecto scibili non est fundamentum reale talis relationis. Neque satis est, quod in ipsa re intelligibili aut sensibili sit aliquod fundamentum, ob quod apta sit intelligi aut sentiri, quia illud fundamentum præcise consideratum in ratione mensuræ, non accipitur ut aliquid ordinabile ad aliud, sed solum ut terminus vel obiectum cui aliquid commensuratur: & ideo dicitur in illo non esse fundamentum relationis: non quia nihil rei sit in ipso, sed quia in illa re nulla est ratio fundandi relationem, quod requiritur ad fundamentum relationis, formaliter de illo loquendo, prout explicatum est supra sect. 7. Tertium argumentum per difficultatem grauem de termino relationis quam tractabimus sectione sequenti.

Circa secundam difficultatem tractatur de relationibus Dei ad creaturas.

IN secunda parte argumentorum petitur in primis difficultas, an inter creaturam & Deum sit semper relatio non mutua, etiam si ad primum & secundum genus relationum pertinere videantur. Quæ est questio Theologica, & aliis verbis proponi solet: an nomina quæ Deo tribuuntur ex tempore per relationem ad creaturam, dicantur in Deo relationem realem, vel rationis tantum. Aliqua enim nomina quæ videntur importare relationem ad creaturam, dicuntur de Deo ex æternitate, quæ interdum dicuntur importare respectum liberum, inter eum vero simpliciter necessarium, seu naturalem, ut scientia, potentia, & similes dicunt respectum naturalem & necessarium, prædestinatio autem, providentia, & scientia visionis dicunt respectum liberum seu non naturalem, quia absolute loquendo, possent Deo non conuenire. Et de his relationibus non dubium est quin non sint reales in Deo, quia ex æternitate non habent reales terminos. Verum est, aliquos Theologos existimare, respectum scientiæ, & potentie, etiam in Deo, esse reales transcendentales, ideoque posse esse independentes ab existentia termini, & non esse variabiles, neque accidentales, sed de intrinseca substantia Dei. Verius tamen existimo (quod a libi latius tractatum est) hæc non dicere in Deo verum respectum transcendentalem, sed tantum secundum dici, significari ad modum rerum respectuarum, eo quod à nobis concipiantur ad modum earum rerum, quæ similes respectus transcendentales includunt. Alioquin enim Deus quantum ad essentiam suam est res omnino absoluta, cumque eius scientia & potentia sit ipsa essentia eius absoluta, etiam sunt ab omni respectu transcendentali: quod etiam supra tetigimus inter explicanda attributa Dei. Et rationem etiam reddidimus, quia potentia Dei non est talis, ut sit per se primo ordinata ad opus extra se, sed eam efficacitatem habet quasi concomitantem, secundum rationem loquendo, & absque ulla ordinatione: Et similiter scientia Dei, & voluntas, per se primo non versantur nisi circa suam essentiam, inde vero consequenter attingunt vel attingere possunt reliqua sine transcendentali respectu. Sunt ergo hi respectus aut secundum dici tantum, aut si concipiantur ut relationes secundum esse, sunt tantum relationes rationis, saltem quamdiu termini in re non existunt. Neque de his procedit argumentum supra propositum, sed de quibusdam respectibus, qui includunt coexistentiam termini, qui propterea conueniunt Deo ex tempore, quia creaturæ quæ sunt termini talium respectuum, non existunt nisi ex tempore, ut sunt relationes creatoris, domini, & similes.

Opinio

*Opinio Nominalium de relationibus realibus
Dei ex tempore.*

XVI. DE his ergo multi Theologi existimant esse relationes reales. Ita tenet Ocham in i. d. 30. & ibi Gabr. quæst. 5. Durand. quæst. 3. Gregor. distinct. 28. quæst. 3. artic. 1. Marfil. in i. q. 32. art. 1. Fundamentum horum authorum est, quia relatio realis nihil rei addit subiecto seu alteri rei quæ per eam referri dicitur, sed vel est denominatio ex concomitantia extremorum, vel est ipsamet res absoluta, quæ coexistente alia, per se ipsam illam respicit, propter aliquod vinculum, vel aliquam connexionem inter eas inuentâ. Unde fit, ut relatio realis possit absque vlla imperfectione aduenire alicui de nouo, quia aduenit sine additione vlla reali & intrinseca, & sine compositione & consequenter etiam sine vlla dependentia in aliqua re extrinseca, sed ad summum in tali modo denominationis: solum autem hæc imperfectiones possunt hic excogitari: ergo excluditur omnis imperfectio, & alioqui in Deo concurrunt omnia necessaria ad relationem: nam est vera causa efficiens creaturæ, & habet veram potentiam & actionem circa illam: ergo posito altero extremo erit in Deo vera relatio realis. Fauetque huic sententiæ communis modus denominandi Deum ex his relationibus, tam enim vere ac realiter est effectus aut creator creaturæ sicut vnus homo est pater alterius, & idem est de relatione distincti, similis, &c. ergo vel omnes istæ relationes sunt in Deo reales: aut nullum est fundamentum ad admittendas relationes reales in creaturis. Fauet denique huic sententiæ D. Anselmus in monolog. c. 24. vbi cum dixisset Deo nihil posse accidere, quia est inuariabilis, obicit sibi. *Quomodo non est participes accidentis, cum & hoc ipsum quod maior est omnibus aliis naturis, & quod illis dissimilis est, illi videatur accidere?* Et respondet, *Sed quid repugnant quorundam que accidentia dicuntur, susceptibilitas, & naturalis incommutabilitas, si ex eorum assumptione nulla substantia consequitur variabilitas?* Et subdit inferius huiusmodi esse relationes. Et ne existimeretur loqui de relationibus rationis, exemplum addit in relationibus creatis. Nam ego (inquit) nec maior, vel minor, nec aequalis, vel similis sum homini post annum nascituro: omnes autem relationes has illo nato habere potero sine omni mei mutatione. Addit vero inferius: hæc quæ sine mutatione rei accidere dicuntur, improprie dici accidentia, & ideo simpliciter verum esse: Deo nullum accidens, de nouo aduenire.

Contraria sententia probatur.

XVII. Nihilominus tamen plures & grauiores Theologi negant huiusmodi nomina significari in Deo relationes reales ad creaturas, quæ ex tempore ei conueniunt. Hæc est sententia D. Thomæ. i. p. q. 13. art. 7. & 2. cont. Gent. cap. 12. & idem docent his locis Caiet. & Ferrar. & reliqui Thomistæ: Capreolus in i. d. 30. q. 1. art. 1. concl. 3. & art. 2. concl. 2. & 3. & ibidem Hispanens. art. 1. Bonau. art. 1. q. 3. Richard. art. 1. qu. 4. Scotus q. 1. Egid. q. 2. Henric. quodlib. 9. quæst. 1. & Alens. i. p. quæst. 35. & in eadem sententia videtur esse Magister in illa distinctione trigesima. Et sunt qui existimant, hæc sententiam tam certam esse, ut altera repugnet sacre doctrinæ. Veruntamen aliud est loqui supponendo relationem esse rem vel modum ex natura rei distinctum à fundamento seu subiecto relato, & consequenter ei de nouo additum, quando de nouo refertur, seu relatiue denominari incipit: aliud vero est loqui de relatione, supponendo non esse aliquid distinctum à rebus absolutis. Facta priori suppositione, sine dubio esset absurdissimum, ac fere erroneum dicere, resultare in Deo relationes reales ad

creaturas ex tempore, quando creaturæ produciuntur, vel amitti, cum creaturæ mutantur. Quia iuxta huiusmodi sententiam & ponitur in Deo verum accidens, quia modus ex natura rei distinctus à substantia, qui potest inesse illi, & abesse, accidens est: & consequenter necesse est ponere in Deo compositionem ex substantia & tali modo distinctio: ac denique mutationem, & potentialitatem, ac similia.

Neque enim dici potest talem relationem esse realem & non esse in creatura & referre realiter ipsum Deum ad creaturam, & nihilominus non inesse Deo, sed asistere illi, ut Gilbert. Porret. cogitauit, ut Alens. & alii referunt. Refutatur enim hoc facile, nam si illa relatio realis est, in alio quo subiecto esse necesse est: cum ergo non sit in creatura, erit in Deo. Nisi quis fingat esse subsistentem, quod dici non potest, alias sequitur esse quandam substantiam creatam asistentem Deo ex tempore, cum sit relatio temporalis & consequenter creatura: illud est plane falsum, & in intelligibile: quomodo enim talis substantia referre posset Deum: Item etiam ad illam substantiam esset alia relatio in Deo, quia esset factor eius, & sic procederet in infinitum. Quod si dicatur, illam relationem esse subsistentem, non tamen alia substantia nisi diuina, interrogabo an in ea sit per vniuersum hypostaticam: quod dicere tam absurdum esset, ut impugnandum non sit: vel per identitatem. Et tunc rursus quæram, an id sit per omnimodam identitatem, quæ excludat etiam distinctionem modalem, & sic receditur ab hypothese: quam præmissimus, quod nimirum omnis relatio realis de nouo adueniens, sit modus distinctus. Si vero sit sermo de identitate reali cū distinctione modalis, inciditur in omnia inconuenientia illata, & non evitatur quin talis relatio insit Deo non per inhaerentiam distinctam, sed per se ipsam etiam in substantiis creatis modi accidentales ipsas asficiunt, & sic inhaerent.

Veruntamen tota certitudo huius sententiæ in hoc sensu: magis est conditionata seu consequentiæ quam consequentis, videlicet quod si relatio realis sit, qualis in ea sententia supponitur, non potest esse in Deo: quia vero antecedens illud incertum est & fortasse falsum, ideo non satis est, ut illa conclusio sit certa, prout absolute negat relationes reales Dei ad creaturas. Neque authores primæ sententiæ in eo sensu locuti sunt, nec prædictam suppositionem admittunt.

Si vero supponamus has relationes non esse aliquid rei, actu distinctum ab omnibus absolutis, nec potest esse certum has relationes non posse tribui Deo, nec est quæstio magni momenti, sed fere de modo loquendi. Et sane qui putant has denominationes relatiuas, quæ possunt de nouo aduenire per solam mutationem alterius extremi sine vlla mutatione eius rei quæ referri dicitur, esse tantum denominationes extrinsecas ex coexistentia extremorum, satis consequenter loquuntur tribuendo has relationes Deo: quia nullum est inconueniens Deum ex tempore denominari ab aliqua forma reali existente in creatura, ut patet in actione creatiua, & in aliis quas Deus ad extra operatur. Et certe Diuus Anselmus citato loco in hanc sententiam multum dependere videtur quamquam in fine capitis modum illum loquendi ut incertum prætermittat. Nihilominus tamen eam sententiam supra reliquimus, ut minus probabilem: minusque consentaneam Aristoteli: quod nunc ex eo confirmare possumus, quod iuxta illam nullæ erunt relationes non mutæ: falsumque erit quod Aristoteles ait: quædam dici relatiue, quia alia referuntur ad ipsa, alia vero, quia ipsa in se habent unde referantur.

Vterius vero etiam supponendo relationem esse quid intrinsecum, non tamen quid distinctum in re & consequenter nec mutationem nec compositionem

XVIII.

XIX.

XX.

XXI.

tionem faciens, non sequuntur inconuenientia prius illata, etiam si dicatur Deus, ex tēpore referri ad creaturas, & ideo illa opinio in eo sensu non est digna aliqua censura. Vnde etiam inter Thomistas, Soneinas & Metaphysicos, quæstione 25, ad 4. admittit relationem dominii quam Deus habet ad creaturas, esse realem, quia fundatur in vera potentia reali quod etiam ex parte opinatur Heruzus 1. dist. 30. quæstione vnicæ artic. 3. licet in modo loquendi conetur sese accommodare communi sententiæ quod difficile explicat, nec id est mirum, quia re vera non est facile rationem reddere cur hoc negandum sit, supposita illa sententiæ, cum nulla imperfectio sequatur in Deo, vt ex dictis constat.

XXII. Nihilominus tamen non conseo esse recedendum à modo loquendi Diui Thomæ, & grauiorum Theologorum, quia etiam si illa incommoda supra illata, non sequantur attribuendo Deo relationem realem in dicto sensu, nihilominus tamen malo modo per intrinsecam formam & entitatem suam referri possit ad creaturas. Hoc enim est proprium entium eiusdem ordinis: Deus autem & creatura omnino sunt diuersorum ordinum, vt per se satis constat.

XXIII. Dicuntur autem esse eiusdem ordinis ea, quæ vel sunt extra omne genus, & extra omnem dependentiam, vt diuinæ personæ, vel sunt sub eodem genere, vt substantiæ creatæ, vel quantitates, & similia: vel certe quæ sunt sub diuersis generibus, quorum vnum potest perfici per aliud, & e conuerso, vt sunt genus substantiæ creatæ, & genera accidentium inter se comparata. Et hæc ratione, omnia entia creata quantum ad præsens spectat, dicuntur esse eiusdem ordinis [personæ enim in creatis vt inter se referuntur, non pertinent ad præsentem d[is]putationem] quia sunt eiusdem generis, & habent inter se vniuocam conuenientiam, & inuicem aliquo modo iuuant ad perfectionem vel complementum suæ naturæ, vel in diuiduo, vel in specie, vel saltem in genere. Vnde fit, vt etiam causalitas quæ inter humiliori entia intercedit, redunder in perfectionem non solum effectuum, sed aliquo modo etiam causarum, vel quia ad agendum ordinantur, vel quia in effectibus conferuntur saltem secundum speciem, vel certe quia secundum genus perficiuntur varietate differentiarum, aut specierum. Si vero entia creata sint diuersorum generum, omnia habent inter se aliquam connexionem, aut secundum rationes genericas, aut secundum specificas, cum proportionem eas comparando. In hoc ergo sensu dicimus in præsentia, omnia entia creata esse eiusdem ordinis.

XXIV. Alter id exponi potest ex Caietano prima parte quæstione quarta, articulo tertio, ad quartum, vbi ait, ea esse diuersorum ordinum, quæ habent inter se essentiali dependentiam in ratione causæ & causati: quo modo comparantur omnes creaturæ ad Deum, non tamen inter se, quia licet interdum ad inuicem causentur, non tamen secundum propriam dependentiam essentiali. Sed hæc expositio, licet sit probabilis, & quoad causas extrinsecas satisfaciatur, tamen in intrinsecis, scilicet, materiali, & formali, non videtur habere locum, sed in eis est specialis ratio, quia comparantur ad effectum, vt partes quæ ad componendum totum ordinantur, & quoad hoc sunt eiusdem ordinis cum illo. Aliam expositionem habet Heruzus supra, sed obsecro, minusque satisficientem, & ideo eam omitto. In dicto ergo sensu asserimus nihil referri ad aliud vere ac realiter per intrinsecam formam, nisi sit eiusdem ordinis cum eo Ratio autem est, quia relatio realis consistit in ordine vnus rei ad aliam: merito ergo ad talem relationem requiritur, vt sit inter extrema eiusdem ordinis.

XXV. Potestque hoc confirmari ex dictis de scientiæ & scibili, nam sub ea ratione censentur esse diuersorum ordinum, quatenus scientia ordinatur ad scibi-

le, scibile autem vt sic non ordinatur ad scientiam multo autem magis est Deus alterius ordinis ab omni creatura: ergo multo minus est per seipsum realiter referibilis ad creaturas, quam scibile ad scientiam. Et hoc fere de discursu videtur D. Thomæ citatis locis, & latius in q. 7. de potentia, articulo 11. Diuina ergo natura, potentia, & reliqua attributa, tam sunt absolutura in se, tamq[ue] abstracta & independentia ab omni ordine creaturarum, vt siue creaturæ existant, siue non, nec secundum rem, nec secundum aliquam veram formalitatem realem referant Deum ad creaturas. Vnde nec vere possunt concipi, vt sic denominantes vel referentes Deum, sed omnis denominatio quæ vt respectiua concipitur in Deo ad creaturam, est tantum secundum rationem & modum concipiendi nostrum.

Neque obstat, quod Deus denominetur realiter creator, aut Dominus, denominationem realiter, extrinsece quidem ab actione reali, & sic dicitur creator intrinsece vero à potestate reali, quam in se habet super rem creatam, & sic dicitur Dominus vel à scientia, aut amore reali, & sic dicitur sciens vel amans, id quod facit. Denique hæc denominationes non sunt reales, nisi prout fumantur ab aliquibus formis, vel quasi formis absolutis, prout vero relatiue formaliter sunt, tantum fundantur in modo concipiendi nostro.

Ad principalem ergo difficultatem in principio positam, concedimus inter Deum & creaturas dari relationes non mutuas, quæ non solum pertinent ad tertium genus seu fundamentum relationum, sed etiam ad primum vel secundum. Neque id est inconueniens, quia non oportet relatiua tertii generis in hoc distinguere ab aliis, quod in eo omnes relationes sint non mutue, & in aliis nunquam, sed in hoc quod in tertio genere semper sint non mutue, in aliis vero non semper, sed potius raro. Vnde etiam recte exponitur Aristoteles, vt dicebam, quod in tertio genere ex vi formalis fundamenti seu rationis fundandi, relationes sunt non mutue: in primo vero & secundo genere, si aliquando sunt non mutue, prouenit quasi ex materiali re, aut subiecto, vel quasi subiecto relationis, vt bi gratia in relatione causæ & effectus inter Deum & creaturas, si formaliter solum consideremus rationem potentiz & actionis, potest esse sufficiens ad relationem mutuatam, tamen in Deo, propter eminentiam suæ entitatis, relatio illa est non mutua: & idem dici potest de relatione similis, aut distincti, & similibus.

Relatio autem inter causam finalem & effectum, si non mutua est reduci merito potest ad tertium genus: obaptantur enim media fini, & sic ab eo speciem sumunt, & suo modo per illum mensurantur.

De relatione autem dextri & sinistri inter hominem & columnam satis dubium est, an sit realis ex parte alicuius extremi. Nam licet forma seu virtus à qua illa denominatio sumpta est, realis sit, & intrinsece existens in naturali, in columna vero tantum extrinsece, tamen non satis apparet, cur inde oriatur relatio realis, etiam in animali, cum illa denominatio non fundetur in vnitate aliqua seu quantitate, vt per se constat. Neque etiam in ratione potentiz actiue vt sit: aliàs relatio esset mutua, quia illi correspondet in columna potentia passiva, vel interdum etiam actiua deficit, quia non oportet vt virtus motiua partis dextre tanta sit, vt ad mouendam columnam sufficiat. Neq[ue] etiam fundatur illa relatio in aliqua commensuratione, quia virtus dextra animalis nullam habitudinem transcendentalem dicit ad columnam, æque illi commensuratur vilo modo. Non ergo videtur interuenire vera ratio ad fundandam relationem realem, sed videtur illa denominatio orta ex sola comparatione intellectus per quandam proportionem seu proportionalitatem ad dextram & sinistram.

nam partem eiusdem hominis vel animalis. Nam inter has partes est relatio realis mutua sumpta ex diuersitate situm, cum diuersitate virtutum realiū in vtraque parte existentium: & hinc similis denominationis translata est ad rem inanimatam, locum finistrum vel dextrum occupantem. Quæ quoad denominationem in hoc assimilatur relationibus non mutuis, quia fundamentum illius denominationis solum est in vno extremo, & inde redundat in aliud: ideo solent hoc exemplo declarari relationes non mutuas, quamuis vera ac propria relatio realis non videatur sibi necessario. Quia sola diuersitas situm, vt sic non sufficit ad denominationem dextri & finistri, vt per se constat, diuersitas autē virtutis sibi non est nisi priuatiua, quia in animali propria virtus, in columna vero tantum est priuatiua illius, & ideo in neutro extremo videtur sufficere ad relationem realem. Quod si quis omnino velit defendere illam esse relationem realem non mutuan, vtatur generali responsione superius posita.

SECTIO XVI.

Utrum formalis terminus relationis sit altera relatio, vel aliqua ratio absoluta.

Hæc questio suborta est ex sectione præcedente, & est per se valde necessaria ad explicandā naturam relationis quæ tum ex fundamento, tum ex termino suo modo pendet: & ob hoc etiam optime in hunc locum cadit, nam in duabus sectionibus proxime præcedentibus explicuimus formalia fundamenta relationum: superest ergo vt consequenter formalem terminum declaremus.

Exponitur questionis titulus, & quid sit actu terminare.

Item autem aduertendum, hic nos non agere de formali denominatione termini vt actu terminantis, sed de ratione seu forma, quæ in ipsa re, quæ est terminus, requiritur, vt sit apta ad terminandum. Nam sub priori ratione esse termini seu terminare, non est aliquid in re terminante, sed est denominatio extrinseca, sumpta ex eo, quod aliud tendat in ipsam. Sicut, parietem esse visum, non est aliquid in pariete, sed est denominatio à visione respiciente ipsum: nam idem est videri, quod actu terminare visionem, licet voces diuersæ sint: nihilominus tamen prærequiritur in pariete aliqua forma, qua constituitur aptus ad terminandam visionem. Sic ergo intelligendum est de termino relationis, dicitur enim actu terminare, solum quia respicitur ab alio, quæ denominatio non est prærequisita ad relationem, sed consequens ad illam, in quo omnes conueniunt. Necessario vero supponitur in termino aliqua ratio & quasi causa formalis, ob quam est terminatus (vt sic dicam) relationis, quia non omne ens potest terminare quamcunque relationem: ergo in vnoquoque requiritur propria aliqua ratio, ob quam est natum terminare hanc vel illam relationem: hanc ergo rationem formalem terminandi in præsentem inquirimus. Et quoniam in superioribus dictum est, terminum relationis debere esse ens reale & vt actu terminet requirere actuale existentiam, ideo vltius inquirimus, an debeat esse ens formaliter relatiuum vel absolutum: ex quo facile constabit in vnaquoque relatione an proportionatus terminus debeat esse tale ens absolutum, vel tale relatiuum.

Variæ sententiæ.

Sunt ergo in hac re tres sententiæ: Prima affirmat in omnibus relationibus tam mutuis quam non

mutuis formalem terminum debere esse relatiuum. Ita docuit Caiet. 1. part. quest. 13. art. 7. Hispanens. in 1. distinct. 30. quest. 1. notab. 3. videtur secundum eandem sententiam loqui, quamuis nec quæstione suspiceret, neque de formali ratione terminandi expresse loquatur. Nonnulli vero ex modernis Thomistis hanc sententiam secuti sunt. Et potest probari primo quia quodlibet relatiuum formaliter terminatur ad suum correlatiuum: ergo formalis ratio terminandi vnam relationem est relatio opposita correspondens in altero extremo. Consequentia euidentis est, & antecedens probatur, quia relativa sunt simul natura, cognitione & definitione, vt constat ex Aristot. c. de ad aliquid, & inferius dicitur: sed nihil horum haberet nisi vnum relatiuum ad aliud formaliter terminaretur, ergo. Probatur minor quoad primam partem, quia si pater v. g. vt pater non terminatur ad filium, vt filius est relatiuus, sed vt est hic homo genitus ab illo: ergo pater vt pater non est simul natura cum filio vt filio, sed cum hoc homine vt genitor: at vero hic homo prius natura est genitus ab alio, quam habeat relationem filiationis ad ipsum, quia filiationis est proprietas resultans in homine genito: ergo pater vt pater erit prius natura quam sit filius vt filius. Et confirmatur hæc pars, quia relatio vt relatio non pendet nisi ex fundamento & termino: ergo, si formalis terminus non est altera relatio, per se non pendet ab illa, nec requirit illam: ergo ex se est prior natura quæ illa. Similique argumento probantur alia duæ partes quia relatio perfecte cognoscitur cognito fundamento & termino, & aliud non requirit: ergo si terminus vnius relationis, non est alia relatio, non pendet vna in cognitione ab alia: non ergo simul necessario cognoscuntur. Rursus ob eandem causam in definitione relationis solum ponitur terminus formalis, quia totum esse relationis est ad suum terminum: ergo si terminus vnius relatiui non est aliud relatiuum, sed aliquid absolutum, non definitur vnum relatiuum per aliud, & è conuerso, quod est esse simul definitione. Et confirmatur hoc specialiter in relatiuis non mutuis, in quibus videtur esse maior difficultas, quia aliàs ad cognoscendam relationem creaturæ oporteret cognoscere entitatem Dei absolutam & naturam eius, & similiter ad cognoscendam relationem scientiæ, vel sensus, oporteret cognoscere naturam absolutam obiecti sensibilis vel sensibilibis, quod videtur plane falsum.

Secunda sententia distinctione vtitur, nam de relationibus mutuis idem sentit quod præcedens sententia propter easdem rationes. De non mutuis autē affirmat terminari ad absolutum, & non relatiuum, quia huiusmodi relationes terminantur formaliter ad aliquid reale: in terminis autem earum non correspondet aliquid reale relatiuum, sed absolutum tantum. Hanc sententiam tenet Ferrar. 2. cont. Gent. c. 11. & in eam magis inclinat quoad posteriorem partem eius Hispanens supra, nam sæpe ait, aliquod diuinum attributum absolutum, scilicet, virtutem, potentiam vel aliquid huiusmodi esse rationem, quod Deus terminet relationem creaturæ ad ipsum. Hanc etiam sententiam sequitur Niphus 5. Metaph. disp. 14. Eamque quoad relativa non mutua nos postea confirmabimus: quoad mutua vero eadem habet fundamenta, quæ præcedens sententia. Et addi solet argumentum sumptum ex relationibus diuinis, quæ mutuas sunt, & tamen vna ad aliam terminatur.

Tertia sententia vniuersaliter docet omnes relationes tam mutuas quam non mutuas terminari ad absolutum formaliter. Hanc tenet Scot. in 1. dist. 36. q. 1. vbi Lychetus & alii Scotistæ idem sentiunt. Et eam plane sequitur Capreol. q. 1. artic. 2. ad 3. quem imitatur Soncin. 5. Metaph. qu. 30. ad 2. Aiunt enim, absolutum esse rationem terminandi, requirere tamen relationem seu correlationem concomitantem quando actu terminat, quod est simpliciter verum in re-

IV. Secunda opinio.

V.